

Die hemina enthielt $\frac{1}{60}$ Cubikfuss Wasser, sie wog $\frac{5}{8}$ l. legalis oder eine libra minor (l. assis, l. olei, decunx), 10 unciae und 60 oben genannte drachmae.

Wir werden sehen, dass St. Benedict keine andern als die eben angeführten, gesetzlichen Masse im Auge hatte, als er die vielumstrittenen Capitel 39 und 40 der h. Regel schrieb.

Adumbrationes biographicae virorum summe insignium, qui ultimis duobus seculis monasterium „Praglia“ illustrarunt.

Scriptis D. Romualdus Scarella O. S. B. Prior Dailae.

Datis iam a nobis de oppresso monasterio Praglia nonnullis principalibus adnotationibus, non displicebit forsitan lectoribus nostris, addi hic adumbrationes aliquas biographicas virorum pietate, doctrina et sapientia maxime insignium, qui ultimis duobus seculis in eodem monasterio oppresso eminuerunt.

I. Alberti Don Fiorenzo da Desenzano ex dioecesi Veronensi, provincia Brixienti, induit habitum Benedictinum in monasterio S. Maria di Praglia XV. Calendas Augusti anno 1747. Finito S. theologiae studiorum cursu primo sub regimine Rvssmi abbatis Don Cipriano Benaglia, ab eodemque iudicatus raro ingenio praeditus, Romam in collegium Benedictinum S. Anselmi missus anno 1779 ibique eruditus est, uti ex literis dimissoriis ei remissis eruitur, a Rvssmo abbate visitatore Don Angelo Maria Piccoli datis III. Calendas Junias anni eiusdem in peragenda visitatione. Edito Romae excellentis ingenii specimine et completo cursu utriusque facultatis, theologiae et juridico-ecclesiasticae, statim missus est lector philosophiae ad S. Maria di Cesena, tum ad S. Giustina di Padova, postea ad S. Benedetto di Mantova. Discipulum habuit Don Gregorio Barnaba Chiamonte, factum postea Summum Pontificem nomine Pii VII, qui plures per annos studiis provisit atque praefuit.

Factus illustris rerum cognitione atque scientia, P. Alberti non fugit oculum sagacem Mariae Theresiae, imperatricis Austriae, quae iuris canonici professorem in universitate Papiensi eum voluit, ubi multos annos magna cum laude eo munere perdifficili functus est. Quum vero temporis decursu tandem onus ca-

thedrae factum esset intolerabile, aliud petiit officium, quod, etsi diminueret defatigationem praesertim sermocinando effectam, non sineret eum esse otiosum. Itaque Josephus II. imperator grato animo eorum, quae vir ille praestiterat, memor, admisit eius literas petitorias, eumque typographiae Mediolanensis operum censorem designavit.

At factus senex et expulsus e coenobio claustrali Franco-gallorum invasione, in proprium monasterium S. Maria di Praglia recedere maluit, quam remanere in seculo medios inter illos seditionis tumultus, expositus periculo contaminandi suam ipsius animi conscientiam. Reversus igitur in proprium monasterium, in praemium meritorum ac laborum suorum a congregationis superioribus abbatis titularis dignitate honoratus est. Quum eminentissimus cardinalis Chiaramonti, olim discipulus eius, papa factus esset nomine Pii VII, semper demissam sui ipsius servavit opinionem, munera recusans et honores a Sanctitate Sua propositos. Acerbissimo animi dolore e coenobii solitudine, e perdilecto secessu secedere coactus est, quum Napoleo I. anno 1810 immani decreto coenobitas Italiae ex coenobiis eiecerit. P. Alberti senex hebescens in oppidulum Desenzano, patriam suam, ad suos se contulit, ubi paucis annis post pie obiit. De eius manuscriptis nihil potuit notitiae obtineri, siquidem iniuria temporum perierunt.

II. Pater Don Gaudenzio Capretta natus anno 1730 patre Veneto re militari claro, et matre Sassona Erich, familia in literarum orbe memorata; induit habitum coenobii in monasterio Praglia anno 1747. Quum ingenii non communis perhiberet specimina, missus est Romam ad literarum studium in S. Anselmi collegio capessendum, ubi celebre comparavit nomen. Insigni praeditus memoria et acuto ingenio, universum literarum humanarum tam amplum peragravit campum, unde dulcissimos decerpit fructus, pertractando simul italicae, latinae, graecae et hebraicae linguae studium. Cognitiones philosophicas et theologicas eum in modum comparavit, ut cum praecipuis hac in re coetaneis concertaret; at civilium praesertim legum et iuris canonici studio se dicavit. Gradatim considerabili cum honore philosophiae sustinuit cathedram in Badilensi, Florentino, Papiensi et S. Georgii Veneto monasterio. Ex coenobio ad theologiae cathedram in universitate Parmensi, indeque ad iuris canonici sedem professoriam transiit.

Jussu ducis huius urbis novum de studiis scholasticis tractatum et de universitatis via et ratione conscripsit.

Quo tempore Gustavus III. rex Sueciae Parmae commorabatur, Capretta conciones cum applausu habebat; in lucem edidit opus celebratum, quod Bodini, typographorum decus, anno 1784 typis descripsit. Dux Parmensis gratus ac memor eorum, quae praestiterat vir noster modo laudatus et iam factus abbas, eum publice proclamavit »legum professorem eximium«, Pio VII, eius coaetaneo et amico, eum declarante virum spectabilem, rarissimi ingenii plenissimum et moribus praestantissimum. Secessit e vita in universitate Parmensi V. Idus Octobres 1806.

III. Pater Don Michelangelo Lucchi, et ipse filius monasterii Praglia, lector fuit philosophiae moralis in S. Giustina di Padova, et theologiae professor in collegio Romano S. Anselmi. Arcensus a magno duce Tusciae Leopoldo, nominatus est professor linguarum orientalium in abbatia Florentina, donec papa Pius VII. eum ad cardinalatum evexit cum titulo S. Mariae Victoriae, et ad abbatis commendatarii dignitatem protomonasterii S. Sabiani. Honoratus purpura non deseruit, imo magis quam unquam coluit studium sacrarum literarum nec non linguarum. Quam alte assurrexerit per gradus virtutum praestantium, scripta complura et lapides sepulcrales lucide in memoriam revocant. Quantae amplitudinis et sublimitatis eius eruditio fuerit, plurima opera typis edita fidem faciunt; et ineditorum magnitudo et numerus novum possunt esse eius rei testimonium publicum; quae opera in sacro bibliothecae Vaticanae receptaculo seponi iussa sunt a papa Pio VII., cui relicta erant tempore eius mortis, quae evenit anno 1802.

IV. Honori fuit itidem monasterio Praglia P. Don Fridericus Chiaramonti, qui adolescens adhuc et ingenio eximio praeditus, patris Lucchi regimini subiectus est, a quo instructus evasit versatissimus in lingua hebraica et graeca, quibus ad sacram scripturam explanandam usus est.

Post dissolutionem anno 1810 factam reversus Brixiam patriam, ab episcopo huius urbis, illo tempore Rvssmo Nava, collocatus est sacrae scripturae professor in ipsius seminario, quo munere professorio summa cum laude functus est, donec regressus in congregationem anno 1819 se adiunxit familiae religiosae

S. Pietro di Venezia, paulo ante redintegratae a summo pontifice Pio VII, quo etiam bibliothecam suam selectissimam transtulit, quae ad id tempus huius viri memoriam conservat, qui virtutibus et doctrinis suis coenobium S. Maria di Praglia seculo XVIII. illustravit.

V. P. Don Giovanni Alberto Colombo, et ipse filius monasterii Praglia, quum a prima iuventute singulari emereret ingenio, factus est lector philosophiae in monasterio S. Giorgio Maggiore di Venezia, tum in cathedra sanctorum canonum in abbatia Florentina, et meritis eius palam factis electus est professor astronomiae et philosophiae in universitate Patavina, unde celebri marchione Poleri mortuo ad physicae experimentalis transiit cathedram. Perspicaci intellectu scripsit et typis edidit de physica libros; dilectus et honoratus est quinquaginta annorum spatio, quo cathedram sustinuit. Laudibus est elatus ab eminentissimo illo et summe celebrato cardinali Lucchi et acta diurna literaria Florentina anni 1750 laudant eius »de pendulo« dissertationem.

VI. Ferdinando Don Benedetto di Bologna, professus monasterii S. Vitale di Ravenna, antiquitatum ecclesiasticarum, praecipuis monachicarum fuit peritissimus, cuius rei fidem facit historia manuscripta primi eius monasterii S. Vitale di Ravenna in sex volumina redacta; memoriae historico-chronologicae monasterii Praglia, utraque a moriente tradita seminario Patavino. Instructissimus fuit insuper in arte delineandi et architectura civili.

Quum dissoluto invasione Gallica anno 1797 coenobio suo in monasterium Praglia venisset; cognita eius rerum peritia, probaque eius vivendi agendique ratione, in societatem huius monasterii velut ipsius filius receptus atque iussus est archivum in ordinem redigere, et erudire in arte delineandi atque architectura in collegio denuo instituto; id quod non desiit facere usque ad annum 1811; quo tempore clausum est monasterium, facta monachis facultate complendi annum collegii scholasticum. Regressus propterea Patavium, ordinandis fere omnium illustrium urbis familiarum archivis functus, migravit e vita spatio inter annos 1820 et 1822 interiecto, relictis, ut supra dictum est, operibus suis seminario episcopali Patavino.

VII. Grillo Don Angelo, congregationis Casinensis abbas, natus Genuae, Benedictinorum subiit ordinem, neglectis omnibus rebus

ac bonis, quae sibi in seculo superesse sciverat ingrediendo monasterium Praglia; ubi in philosophia, theologia aliisque scientiis excelluit; inde congregationis Casinensis honorificentissimis functus est muneribus, non excluso totius congregationis Casinensis rerum regimine abbatis praesidis. Alexander VII. et Alexander VIII. summi pontifices magnopere venerati sunt eum; at is ipse semper demissus declinavit episcopatum Alerianum in Corsica et Albengensem in Genuensi dominio situm, oblatum sibi ab hoc pontifice Alexandro VIII. Vitam degit boni monachi ab omni ambitione liberam. Fuit insuper scriptorum festivorum (quos dicunt humoristicos) academiae, quae erat Romae, rector, vitaeque est defunctus Parmae in monasterio ad S. Ioannem, cuius abbas erat. Varia reliquit opera, quorum ex numero haec sunt mentione digna: «I pietosi affetti» (pii affectus); «Le rime morali» (versus morales, similiter desinentes); «Le lagrime del penitente» lacrimae poenitentis); «Pompe della morte» (mortis pompae), duoque epistolarum volumina. Giustiniano et Soprani, Scriptor Liguria aliique viri literati laudibus eum efferunt et copiosam eiusdem faciunt mentionem.

VIII. Maggi Don Benedetto, Brixiae in Italia natus, oriundus est ex familia locuplete et splendore prosapiae iam conspicua, sed multo magis christianae virtutis exemplis. Qua ex familia ortus est etiam Beatus Sebastianus Maggi, Dominicanus, honoratus Genuae altarium cultu. Mater eius piissima ex filiis, quos habuit, sex vidit elatos ad gradum sacerdotalem. Noster Don Benedetto induit habitum Benedictinum et vota emisit in insigni S. Iustinae monasterio Patavino ultima elapsi seculi periodo. Emissis votis religiosus missus est in monasterium SS. Faustini et Iovitae, quod erat Brixiae in patria eius, ibique animi fervore et exacta observantia regulari fratres ad pietatem valde excitabat. Aliquot annis elapsis, monachis invasione Gallica expulsis, in monasterium Praglia se contulit, ubi adhuc subsistebat coenobii familia, protecta ab Austria. Hic magna sedulitate operam dedit instruendis educandisque vicorum circumiacentium pueris in doctrina Christiana atque in primis cognitionum elementis, id quod tanto cum successu perfecit, ut nuntio hac de re ad summam rerum gubernationem Venetam dato, singulari eius habilitate cognita Venetias vocaretur ad eos dirigendos, qui ad scholas elementares

suscipiendas sese praeparabant. Dissolutione monasteriorum anno 1810 insecuta Maggi una cum fratre perbono, coenobii inquilino Nicola Nicolé, domicilium sibi constituit in monasterio, permansitque ibi per aliquot annos, commodis vicinorum colorum intentus, donec translata parochiae Tramontanae cura ad ecclesiam monasterii Praglia, disturbatus in cara sua solitudine, ad unum ex fratribus religiosis Benedictinis monasterii S. Giorgio Maggiore di Venezia, et parochum parociae Moncestier in dioecesi Tarvisiensi sitae recessit, cum quo paulo post Adriam se contulit, eodem fratre Don Carolo Pio Ravasi nominato eiusdem urbis episcopo. Hoc loco Maggi eminuit singulari vitae exemplo, indefesso studio sacri ministerii exercitiis devotus, largiendo in bonum pauperum pingues et annuos redditus praediorum familiarium. Iam vero quum suspirare solitudinem coenobii nunquam desineret, suspirii sui vota tandem adimpleta habuit; reddito enim monachis per terram Lombardo-Venetam dispersis monasterio S. Maria di Praglia, Maggi noster devolavit in solitarium locum sacris illis muris circumscriptum, 1834, ubi prioris claustralis et coenobii eleemosinarii munere fungens singulari vitae sanctitate omnibus exemplo fuit et admirationi extraneis, qui illuc se conferebant, ut eum ipsum viderent ac simul viserent illam abbatiam; quibus extraneis summa cum humilitate et simplicitate comitem se praebebat, monstrans iisdem res ipsius monasterii notatu maxime dignas. Advenit postremum dies, quo devocare eum ad gloriae perennitatem Deo placuit, mense Maio anni 1841, quo revera sancte animam exspiravit, suae sanctitatis memoria relicta apud eos, qui ad id tempus eius virtutes admirantur.

IX. Barbieri Don Giuseppe di Bassano, provinciae et dioeceseos Vicentiensis, novitiatum ac professionem fecit in monasterio Praglia. Quo loco quum exeunte seculo proxime superiori collegium educandis nobilium opulentarumque familiarum liberis esset erectum, Barbieri ibidem liberales disciplinas magna cum laude docuit, elegansque evasit poeta, id quod parva eius poëmata, colles Euganeos territorii Patavini spectantia testantur. Obtento sic dictae secularisationis decreto, recessit Patavium, in cuius universitate eloquentiae Italicae cathedram tenuit, donec Italia Francogallorum ditioni subdita fuit. Quibus expulsis, sub Austriacorum dominatu Barbieri in vitam privatam regressus

est, operam dans dilectis sibi studiis, maxime poëticis. Illo tempore, ni fallor, poëmata de collibus Euganeis una cum aliis carminibus de rebus variis in lucem edidit. Impulsu Rvssmi D. Farina, episcopi Patavini, concionibus habendis operam dedit, et haud dubie ceber evasisset orator Pergamensis, nisi esset ingressus viam aliam diversamque a communi, delineatam a summis scholae ingeniis; sed inito firmo consilio, (ut ipse dicit in disculpante quadam tractatione typis edita,) sequendi Sanctorum Patrum concionandi viam ac rationem, quum inde eius orationes sacrae sine partitione factae adparerent, non observatis dialecticae regulis ceteris, quae a doctoribus sapientissimis introductae et usu receptae atque a clarissimis oratoribus Italiae sacris observatae erant: laudatus quidem evasit dictator, non sacer orator. Dicitur autem «laudatus dictator» propter luxuriantem linguae Italae elegantiam, qua in concionibus suis utitur, qua lingua mirum in modum pollebat; id quod elucet ex stupendis descriptionibus, quas in sermonibus adhibere solebat. Professor Audisio Don Guglielmo di Torino, hoc tempore canonicus S. Petri Romae, in suis de sacra eloquentia lectionibus nostri Barbieri sermones moderatissimo, ceterum vero subiicit iudicio. Habemus a Barbieri, aliquot concionum volumina, ab ipso habitarum Patavii, Tergesti aliisque in oppidis Italis, quae posthac typis editae apparuerunt Mediolani. Quamvis in seculum eiectus, Barbieri magnam fovebat animi affectionem erga monasterium suum fratresque coenobitas. Saepenumero, praecipue diebus festis sese conferebat ad monasterium Praglia, ibique perlibenter obibat ministri vices ad altare, id quod omnibus fuit pietatis exemplo.

Anno 1849 denuo vocatus est ad universitatem Patavinam a ministro Suae Majestatis Imperialis Regiae Apostolicae plena potestate praedito Montecucole, et in ea universitate professor eloquentiae Italicae Barbieri vitam finivit medio hoc seculo elapso, relinquens bibliothecam suam fratribus in monasterio Praglia degentibus. Adiungitur ad laudandam huius coenobitae humilitatem, quantumvis habitum in numero primorum Italiae oratorum, occasione data tamen non recusasse concionari ad incolas rusticos paroeciae Torreglia aliorumque vicorum parvorum, ubi habuit sermones quadragesimales, explicationes evangelicas, accommodans se in omnibus intelligentiae pauperum rusticorum,

X, De Don Cipriano Benaglia, monacho monasterii Praglia et praeside congregationis Casinensis, satis dictum est in notis chronologicis monasterii Praglia. Huius viri pietate et doctrina tam insignis, qui aliquot in universitatibus cathedras tenuit, hic opera quaedam tantummodo adiunguntur:

1. Examen philosophiae novae et veteris. Brixiae apud Ioannem Mariam Ricciardi. Tomi 4. in 4.
2. Praelectiones in ius canonicum. Asservantur in taberna libraria S. Antonii Patavii, quae libraria in huius urbis est possessione.
3. Considerationes religiosi cuiusdam S. Sedi addictissimi de modo quodam tollendi cuiusvis dissidii de constitutione «Unigenitus». Quod opus a Benaglia compositum anno 1721 et summo pontifici Innocentio XIII. oblatum est, a quo magnopere adprobatum esse dicitur.
4. Alia opuscula de variis argumentis erudite exaratis in forma epistolarum, ad cardinalem Quirini, monachum congregationis Casinensis datarum: quae epistolae una cum datis a cardinali ipso typis editae habentur.

De Benaglia honorifice commemorant: comes Mazzuchelli in suis «Scriptoribus Italis»; Armellini monachus Casinensis in sua «bibliotheca Benedictino-Casinensi», parte I. pag. 238. Dicit de eo Facciolati in suis «factis archigymnasii Patavini» Tom. 4. pag. 90, — denique Papadopoli «historia gymnasii Patavini». Tom. pag. 153.

XI. Giovanni Pietro Mutti natus est ex bona familia Berga mensi. Adolescens vitae intemeratae et acuti ingenii celerrime cognitas habuit huius seculi bonorum vanitates; quam ob rem decursu anni 1793 superato amicorum atque terrae natalis amore Deo se devovit in monasterio ad S. Justinam Patavii. Sed rerum politicarum vicissitudinibus invitus discedere coactus de suo monasterio, in confinium terrae Bergamensis, in monasterium Pontida recessit. Duorum solummodo annorum spatio ibi pace frui ei licuit, quia anno 1810 universae Italiae ordinibus religiosis dissolutis, Mutti, animo parato vita in claustro defungi, in monasterium S. Giovanni di Parma recessit. Ast hoc quoque ultimum asylum ereptum est nostro Mutti, quia uno anno post occupatae sunt armis Gallicis illae quoque provinciae, ibidemque iti-

dem promulgatum decretum de ordinum religiosorum dissolutione. Tum redux in patriam rursusque iunctus cum familia sua, vigintium annorum spatio se devovit precibus, studiis aliisque operibus plurimis, literariis et apostolicis, quae omnia ab uno eodemque spiritu caritatis in proximi commodum promanarunt. Itaque orationes eius, sive panegyricae, catecheticae, sive conciones, sive cuiuscunque generis fuerunt, semper manifestarunt sinceram caritatem, puram integramque doctrinam, amplissimam, imo admirandam eruditionem, ingenium tam acutum, ut eadem facilitate et attingeret res altissimas et velut vicinas statueret atque coniungeret longinquas remotissimasque. Unde Athenaeum Bergamense prius, postea Venetum, et academia Veronensis agraria, Venetum scientiarum artiumque institutum, et academia religionis catholicae perlibenter eum suis sociis adnumerarunt. Elogium eruditissimum cardinalis Angelo Mai, quod is legit in Athenaeo Bergamensi, honorem canonicatus ei designatum voluit, et dissertationes philosophicae ibidem etiam lectae eum posuerunt inter philosophos huius honorabilis sedis, viro erudito convenientis. Ast Mutti animum habuit tam plenum amoris erga Deum, ut nunquam non anhelaret monasterium. Quum sciret, Mariam Ludovicam Ducem restituisse in suis civitatibus monasterium Casinensium, Mutti petiit ab imperatore Francisco I. ut illuc regrediendi sibi daret licentiam. Quam non obtinuit; quippe Franciscus non ea quidem erat mente, ut non aestimaret viros Muttio pares: sed beneficium, quod tunc praestare non potuit, eo tempore obtulit, quo iterum apertum est monasterium Praglia. Illuc refugit Mutti anno 1836, et paulo post est electus abbas monasterii. Conciones quadragesimales habitae a Mutti in ipsa monasterii ecclesia, exercitia spiritualia in seminariis, orationes panegyricae, opera nostris diebus typis edita et ubique lecta, assiduitas et frequentia hominum illustrium, qui eum visere solebant in monasterio Praglia, brevi effecerunt, ut Mutti magnus vir, qui revera fuit, agnosceretur. Quam ob rem anno 1840 electus est episcopus Veronensis, qua in urbe curandis aegrotis Sorores Caritatis instituit, collegium educandae juventutis stabilivit, religiosarum disciplinam familiarum reflorescere fecit, et spiritualemente paroeciarum administrationem in ordinem redegit. Anno 1851 Mutti electus est Venetiarum patriarcha;

ubi doctissimis suis, quae omnes sunt typis editae, homiliis, immensa erga pauperes caritate, indefesso Dei colendi studio tantopere populi sibi conciliavit benevolentiam, ut hodiedum etiam eius memoria vigeat omnibus comprobanda. Sufficiat dixisse, brevi temporis spatio, quo fuit episcopus Veronensis, pauperibus in solas eleemosinas eum subministrasse centum sexaginta milia lilarum Italarum, Venetiis viginti quatuor lilarum milia dedisse, et duo milia pauperum propriis expensis quotidie aluisse. Mutti verus erat episcopus et patriarcha, sed nunquam non pauper illa ipsa paupertate, quae eum dignum fecit admiratione, dum monachus erat. Mortem Sancti subiit Venetiis mense Aprili anni 1857. De insigni hoc viro praeter eiusdem opera in lucem edita hodieque notissima abunde disserit oratio funebris, habita a Rvssmo abbate Don Placido Talia in S. Giorgio Maggiore Venetiis occasione exsequiarum sollemium in S. Georgii ecclesia celebratarum. Disserit etiam de eo oratio, lecta ipso mortuo in publica seminarii patriarchalis studiorum conclusione a canonico D. Fridrico Maria Zinelli, rectoris vices gerente studiorum eiusdem seminarii patriarchalis et postea insigni episcopo Tarvisiensi.

XII. Ronconi Don Carlo, monachus professus monasterii SS. Felicis et Fortunati Vicentiensis, ubi solertissime cellarii adimplevit officium usque ad tempus, quo illud dissolutum est. Qui monachus honorificam meretur mentionem; quippe qui suo ditissimus officio, administrata paroecia in villa comitis in dioecesi Patavina, factus canonicus insignis capituli cathedralis ecclesiae urbis nominatae; adnumeratus doctorum legalium collegio universitatis Patavinae, restituto anno 1834 monasterio Praglia, canonicatu abdicato, habitum professionis suae resumpsit in hoc monasterio, ubi gravi functus erat cellarii munere usque ad mortem mense Novembri 1839 insecutam.

Quum a manibus invasionis Gallicae rapacibus multas res monasterii sui Vicentiensis servasset, pretium harum monasterio Praglia attulit una cum compendio, quod parsimonia collegerat ex canonicatus redditibus; quo permultum contulit ad monasterium Praglia sublevandum, eo tempore vixdum denuo apertum, rebusque necessariis monachorum denuo ibidem sociatorum provisit.

XIII. Peculiarem demum meretur mentionem in his biographicis adumbrationibus Rvssmus D. Placidus Talia, abbas titu-

laris monasterii Praglia. Natus Venetiis, ibique peractis studiis iuvenilibus secessit e seculo recessitque in abbatiam Praglia anno 1799. Unde, primis virtutis speciminibus exhibitis, ad S. Justinae monasterium Patavium transiit, ubi habitum induit monasticum, philosophiae operam dedit votaue sollennia emisit. Sublato monasterio anno 1810, hospitio alternatim exceptus est a nobilibus et conspiciuis familiis Venetis, Patavinis et Capodistrianiis; educator doctus industriusque adolescentium patriciorum, qui si virum humilem religiosum nobilitatis suae splendore illustrabant, ille vice versa illis sua virtutum atque doctrinae fama non parvum honestatis decorisque addebat momentum.

Inprimis fuit carus comiti Francisco Grisoni, qui, captus admiratione sublimium huius monachi virtutum, monasterio Praglia partem dimidiam vastarum facultatum bonorumque Histriorum tradidit. Itaque prioratus Dailanus ortum et stabilitatem abbati supradicto debet. Qui abbas pariter virtute ac doctrina excellens, elegantes composuit aesthetices sententias, quae honorifica apud criticos Italos et extraneos mentione dignae extiterunt, quasque ipse pertractavit professor universitatis Patavinae, ubi postea etiam philosophiae moralis professor fuit et lectiones de eadem habitas in lucem edidit. Scripsit de educatione, compluraque edidit theologica et moralia opuscula, in quibus omnibus contendunt inter se sensorum puritas, doctrinae altitudo, modorum proprietas, animi serenitas, quae dictionem eius lumine circumfluere nunquam desinunt. Ubique hoc in viro singulari parem elegantis doctrinae ac vitae monachicae dignitatem reperias. Aperto iterum 1834 monasterio Praglia, P. Talia primus pedem intulit in coenobium, spretis commodis, inter quae in sinu familiae nobilissimae vixerat, et laetus denuo subiit coenobii indigentiam et austeritatem. Fuit ibidem annos aliquot novitiorum magister, tum prior, administrator, denique abbas titularis. Suppresso iterum monasterio seditione Itala, destinatus est ab obedientia Dailam prope Aemoniam in Histria, ubi plenus meritorum, deploratus ab omnibus, tranquillo animo ad meliorem vitam demigravit XII. Calendas Decembres 1862.

De eius meritis literariis et virtutibus monasticis testimonium ac fidem faciunt literae stupendae, datae ad patres con-

gregationis Casinensis, typis editae, a Rvssmo abbate Don Attilano Oliveros, et dissertatio, lecta in academia scientiarum artiumque liberalium Patavina a nobili comite Andrea Cittadella, illius universitatis socio et ingenii virtutumque defuncti admiratore.

Zur Geschichte der Durchführung der Benedictina in Deutschland im 14. Jahrhundert.

(Von P. Pius Schmieder aus Lambach.)

Die «Benedictina.» so genannt von ihrem Urheber, dem um die Erneuerung des Ordenslebens so hochverdienten Papste Benedict XII., zur Reform des Benedictiner-Ordens 1336 erlassen, hat ein eigenthümliches Schicksal erfahren. Sie ist, wenn man von einigen Canonisten absieht, in Deutschland von den Historikern hin und wieder citirt, selten aber gewürdigt worden. Dem gelehrten Dr. Dudik war es vorbehalten, nachdrücklicher in seiner trefflichen Geschichte seines ehrw. Stiftes Raigern (I. S. 299—307) darauf nicht allein hinzuweisen, sondern sie auch eingehender zu würdigen.

Der Grund dieser Versäumnis liegt bei aller Beachtung, welche die Benedictina in den Reformstatuten des 15. Jahrhunderts vor allem gefunden hat, hauptsächlich darin, dass von ihrer Verlautbarung und mindestens versuchten Durchführung in Deutschland fast keine Spur sich findet.

Ausser Tritheims Bemerkung (chron. Hirsaug. ed. San. Gall. I. 280) und Gerberts Ausführung (hist. nigrae silvae II. 174) vermisst man jede Spur. Wohl bergen die Handschriftensammlungen mitunter selbst den verhältnismässig seltenen Commentar des Petrus Boërius hiezu (Kropf bibl. Mellic. 70 n. 122). Mehr aber hat bisher in Deutschland kaum verlautet.

Da fand sich in der Papierhandschrift Nr. 500, 8^o der Stiftsbibliothek Lambach ein bisher unbehobener Schatz, nämlich sämtliche Actenstücke des auf Grund der Benedictina zu Salzburg für die gleichnamige Kirchen- und Ordensprovinz 1338 abgehaltenen Ordenscapitels nebst dem Visitationsbericht über die Klöster der Passauer-Diocese österreichischen Antheils. Die Handschrift zeichnet sich freilich nicht durch grosse Correctheit aus. Zudem sind die chronologischen Daten theils ungenau, theils ausgelassen. Der Zweck dieser offenbar dem 15. Jahrhundert angehörigen Abschrift war eine Vorlage zur Vornahme der damaligen Kloster-Visitation dadurch zu gewinnen. Darauf weisen Formularien und Entwürfe ähnlichen Inhalts betreff der Reform der Klöster in genanntem Jahrhundert hin.